

# Jurisprudence

## 1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura—Decree of the Secretary—September 4, 2015.\*

---

Prot. n. 50325/15 CA

N

*Denegationis revocationis electionum*  
(D.nus X – Pontificium Consilium  
pro Laicis)

### DECRETUM

Incepto processu electorali apud suam Confraternitatem, D.nus X die 13 novembris 2014 denuo declarationem petiit nullitatis omnium decisionum commissionis electoralis et suspensionem dicti processus, sed die 14 novembris 2014 Rev.mus Vicarius generalis N petitiones reiecit. Qua decisione die 19 eiusdem mensis notificata, D.nus X die sequenti pro earum revocatione ad normam can. 1734 apud Rev.mum

\* The Latin text of this decree and the unofficial English translation prepared by William L. Daniel are published with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

Vicarium generalem instituit, et, immo, die 27 novembris 2014, invocato can. 1736, § 2, interim ab Exc.mo Episcopo suspensionem processus electoralis expetiit. Electione nihilominus die 29 eiusdem mensis peracta, idem D.nus die 2 decembris 2014 ad Exc.mum Episcopum recurrit tam contra decisionem a Rev.mo Vicario generali die 14 novembris latam quam contra ipsam electionem.

Notitia die 11 ianuarii 2015 recepta de proxima confirmatione electionis, ipse die sequenti Pontificum Consilium pro Laicis adiit, quod vero die 4 februarii 2015 recursum, utpote praepropere propositum, reiecit. Nova audientia frustra petita, D.nus X die 2 martii ad H.S.T. provocavit.

Receptis a Pontificio Consilio actis necnon aliis documentis acquisitis pro examine praeliminari,

#### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod Cl.mus Recurrens, invitatus ut quaedam documenta modo incompleto tam Pontificio Consilio quam H.S.T.

exhibita compleret, nihilominus denuo documenta incompleta transmisit, quodque ipse, ceterum, in multiplicibus scripturis suis non eminet claritate, confundens, uti videtur, v.g., suspensionem una cum remonstratione eo ipso petitam cum eiusdem concessione eo ipso concessa (cf. can. 1734, § 1);

Attento quoad impugnationem decreti Rev.mi Vicarii generalis diei 14 novembris 2014 quod:

– Iurisprudencia H.S.T. admittit huiusmodi in casu remonstrationem sive apud eundem Vicarium generalem sive apud Exc.mum Episcopum (cf. sent. def. coram Stan-kiewicz, diei 22 octobris 2014, prot. n. 48116/13 CA, n. 6), quo casu, inutiliter elapso termino triginta dierum, patet recursus ad competens Dicasterium Curiae Romanae (cf. can. 1735);

– In casu autem D.nus X die 20 novembris 2014 remonstrationem coram Rev.mo Vicario generali exhibuit et proinde termini peremptorii, de quibus in cann. 1735 et 1737, § 2, iam elapsi erant ante recursum diei 12 ianuarii 2015 ad Pontificum Consilium pro Laicis;

1. For the text of this definitive sentence, issued in a cause *Reiectionis recursus*, see *Ius Communio* 5 (2017) 309–324.

– Eius provocatio diei 27 novembris 2014 ad Exc.mum Episcopum, ut processus electoralis interim suspenderetur ad normam can. 1736, § 2, haudquaquam haberi potest remonstratio ad normam can. 1734, eo vel minus eius recursus ad Exc.mum Episcopum diei 2 decembris 2014, saltem utpote extra terminum decem dierum, de quo in can. 1734, propositus;

Perpenso quoad recursum hierarchicum Exc.mo Episcopo die 2 decembris 2014 exhibitum quod:

– Hic recursus saltem adversus electionem interim habitam legitimus haberi posse videtur, sed Exc.mo Episcopo terminus dabatur trium mensium ad respondendum (cf. can. 57, § 1), quam ob rem Pontificium Consilium recte egit de recursu praepropere proposito;

– Iurisprudencia H.S.T. reiectionem recursus praepropere exhibiti ex parte competentis Dicasterii Curiae Romanae legitimam habet (cf., v.g., sent. def. coram Burke, diei 20 septembris 2012, prot. n. 44051/10 CA, n. 3; sent. def. coram Caffarra, diei 21 maii 2011, prot. n. 41719/08 CA, n. 6);

2. For the full text of the second definitive sentence cited, see *The Jurist* 73 (2013) 598–609.

Cum rebus sic stantibus, etiam praetermissa quaestione utrum detur verus recursus an sola denuntiatio adversus actus preparatorios (cf., v.g., decr. def. coram Nicora, diei 1 decembris 2009, prot. n. 36629/04 CA, n. 4), iam satis pateat recursum coram H.S.T. quolibet fundamento carere;

Omissis iis omnibus quae ad nucleum rei tractandae non pertinent et praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76 H.S.T. *Legis propriae*,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie et evidenter quovis fundamento carentem.**

Adversus hoc decretum datur recursus, argumentis suffultus, ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto. Quo casu, Cl.mus Recurrens intra peremptorium

viginti dierum terminum consuetam cautionem 1.550 EURO pro expensis processualibus in arca H.S.T. deponere debet et intra terminum triginta dierum pro Advocato-procuratore ex adnexo albo H.S.T. selecto mandatum rite confectum et ab eodem acceptum coram H.S.T. exhibere.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede huius  
Supremi Signaturae Apostolicae  
Tribunalis die 4 septembris 2015.

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
*Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA  
YAÑEZ, M.G.  
*Moderator Cancellariae*